





17
1. ✓
2.
3.
4.
5.
6.



1728

1. Beckius, Caspar Sebastianus : Programma, praedictiones tunc privatae super Joannis Schilkeri institutiones juris canonici ad ecclesiae veteris et hodiernae statum accommodatas praemissum.
2. Beckius, Caspar Sebastianus : De insolubili fidelitatis et subjectionis nexu.
3. Beckius, Caspar Sebastianus : De eo, quod iustum est circa emigrationem civium religionis causa factam occes. art. II. § 27, 30, 31, 34, 36, 37. Fests. pae. Wst.
4. Beckius, Caspar Sebastianus : De obligatione ad cedendum in via publica.
5. Beckius, Caspar Sebastianus : De consensu feudali.
6. Bruchmannus, Gunt. Hieron, fac. jur. Decanus : ad disputacionem solennem . . . a Ludovico Christiano Lotmido habendam . . . in utraque simulque occes illius quaestionem : Quid in usu fori obtineat, quando casus inter privatos occurrunt, nec communis, nec singulari jure decidus? tractandam sumit.

1728.

7. Bructernus, Guil. Heron, *trd. jur. Decanus: De jure* 12
reale jusque actionibus et speciebus occasione
Disputationis solennis . . . et Johanne Davide 13
Spalding . . . propositae . . .
8. Brunnyellus, Jo. Salom: *Prolesio auspicialis: De*
praecipuis subsidiis jurisprudentiae impediuntis,
praemissa recitationibus publicis. 14
9. Brunnyellus, Jo. Salom: *De iuris exiscentis sive miscel-*
lionibus, quorum fragmenta in Digestis supersunt, prolesio
academica, ventilationi compendi Lanterbachianis. 15
praemissa.
10. Hoffmannus, Joh. Tobias: *Observationes IV ad tit. leges*
Codicis.
11. Wildvogelius, Christ.: *de controversa jurisdictione eccle-*
siastica principum imperii in diversae religionis sub-
ditos.

1728

- 12^a Wildvogelius, Christianus: De rebus altiores indagibus
2 Semst. 1728 i 1757.
13. Wildvogelius, Christianus, Ord. jur. dec. protectorum:
Programmum inaug: De more majorum et l. p. I. p. I. p. I.
A. just. et jur. facti solenni Johanne Friderici Phasen
praemissum.
14. Zimmermann, Dr. Liborius: De actionum humanarum
moralitate nec nec non de obligatione juris, legibusque
strictis dictis.
15. Wildvogelius, Christianus, Ord. jur. protectorum: De officio
jus dicentis latissimo ad l. l. d. d. juris dict. Programm.
(facti solenni Theotori Augusti Schelesi praemissum)



1728 11/

42

CASPARIS ACHATII BECKII, D.

I. P. P. O.

PROGRAMMA

PRAELECTIONIBVS PRIVATIS

SVPER

EXCELLENTISSIMI IVRECONSVLTI

IOANNIS SCHILTERI

INSTITVTIONES IVRIS CANONICI

AD

ECCLESIAE VETERIS

ET HODIERNAE STATVM ACCOMMODATAS

PRAEMISSVM.

IENAE,

LITTERIS FICKELSCHERRIANIS.

de

factis iuris Canonici in Germania

CASPARIS ACHATI BECKII D.
L. P. O.

PROGRAMMA

PRAELECTIONIBUS PRIVATIS

SVPER

EXCELLENTISSIMI INSPICONSULTI

IOANNIS SCHILLERI

INSTITUTIONES IURIS CANONICI

AD

ECCLÉSIAE VETERIS

ET MODERNAE STATVM AC CONMODATAS

TRASHISSVM

ENAB

FITTERS FICKESCHERRIANIS.



Nullam societatem sine ordine, nullum ordinem sine legibus, hoc est, certa actionum norma, consistere posse, manifesta ratione, ipsaque comprobatum est experientia. Namque si sine legibus coirent inter se homines, si nulla certa ratione regerentur, si cuilibet, prout libitum est, suis moribus vivere liceret, necesse foret societatem primum innumeris turbis pernicacibusque dissensionibus confundi, ac deinde penitus dissolui. Quum ergo Ecclesia, externa videlicet illa seu visibilis & particularis, nihil aliud sit, quam societas hominum, Christianam fidem profitentium, & propter commune religionis exercitiam inter se coeuntium; consequens sane atque necesse est, illam quoque tam circa *λειτουργίαν*, quam disciplinam ecclesiasticam & mores, certis instructam ac definitam esse regulis, siue scriptae eae, siue non scriptae sint. Quae propter iam inde ab initio & velut incunabulis ecclesiae Christianae, ex praescripto Apostoli, omnia debebant fieri *κατὰ τὰς ἑκκλησίαν καὶ ἐκκλησίαν*.

Euoluenti autem veterum monumenta manifeste apparebit, per tria priora redempti orbis saecula ecclesiam Christianam nullos fere habuisse canones scriptos, verum iis quae in sacro Codice extant, nec non quibusdam consuetudinibus pro regulis obseruatis, contentam fuisse. Restitutus vero sub imperio Constantini M. pressis Christianorum rebus, ecclesiaque a persecutione ad pacem, ab

eremis in vrbes, a speluncis & latebris in basilicas reuocata, auctaque adeo ad aliquem modum Christianorum societate, & nascentibus, vt naturaliter fieri solet, subinde dubiis, non solum canones in scriptis condi, sed & veteres illi in scripturam redigi, conciliorumque definitionibus insigniter multiplicari, ac tandem colligi a studiosis hominibus in vnum veluti corpus coeperunt; & in Orientis quidem Imperio, quam Occidentis, longe prius.

De hisce varii generibus collectionibus in ipsis praelectionibus nostris commodus agendi locus erit: in praesenti hoc tantum notasse fas fuerit, priscis quidem primisque temporibus placitorum instar pactorumque veluti conuentorum, de consensu totius, quam spectabant ecclesiae, confectos fuisse canones, istaque, non legum, appellatione, propterea venisse, quod harum ferendarum potestas in partibus maiestatis esset; canonum vero nomen & rei ipsi conueniret, quippe quum regulam normamque praescribant credendi, pariter ac viuendi, & respondeant quodammodo ipsis scripturis sacris canonicis, supremam videlicet perpetuamque credendi atque viuendi regulam tradentibus. Ceterum definitiones conciliorum de dogmatibus fidei, *Decreta*, istorumque per summa capita factae collectiones, *Symbola*, de ritibus autem ac disciplina ecclesiastica, *Canones*, proprio strictoque significato, dicebantur. Verum ex quo, vt scite admodum loquitur Franciscus Duarenus, *Decretis a se accesserunt*, hoc est, decretales illae epistolae, quas episcopi, praesertimque Romani, consulentibus rescripserunt; non solum illud verborum discrimen neglectum, sed & ambitiosum *Iuris Canonici* nomen postea temporis introductum est.

Quamquam vero porro neque religio sacrique canones accommodari reipublicae, neque status politici legesque ciuiles, presse sic dictae, adplicari debeant ecclesiae; incredibilis tamen harum rerum omnium exorta est confusio, postquam
Romanae

Romanae ecclesiae Antistites, ex splendore & dominio vrbis eam nacti sunt auctoritatem, vt supremam in saecularibus pariter atque ecclesiasticis vsurpare potestatem, supra principes cunctos scandere, leges ciuitati non minus, quam ac ecclesiae, suo pte ex arbitratu praescribere, occiperent. Quam ob rem, praeclare monente Schiltero nostro, haud negligenda est differentia inter Ius Canonicum, & Pontificium Romanum; quae potissimum triplex est: *Ius Canonicum enim tractat per se tantum res ecclesiasticas, unde & ecclesiasticum clarius dicitur; ius pontificium vero etiam res & causas civiles. Intentio iuris canonici est, sacra ordinare & εὐνομοσύνην ecclesiae tueri; iuris pontificii, imperium etiam in civilibus vsurpatum firmare. Est denique ius canonicum a conciliis, auctoritate Imperatorum ac Regum profectum; & tam in ecclesia orientali, quam occidentali promulgatum; ius pontificium a curia tantum Romana.*

Verum tamen communi fere loquendi vsu haec commiscetur. Eaque ex confusione euenit, vt ius canonicum in vniuersum, pariter vt pleraque iura alia, geminum spectare videatur reipublicae statum, sacrum & civilem, siue vt posterior minus commode, sed vulgo tamen appellatur, profanum. Ecclesiasticus status ex professio ordinatur in Decreto Gratiani: plusque in eo, vtpote ius canonicum stricte tale complexo, habent Theologi, in quo illustrando & expendendo occupentur, quam Iureconsulti. Decretalium libri, tam qui Gregorii IX auctoritate, quam qui iussu Bonifacii VIII, & Clementis V, atque Ioannis XXII auspiciis, vel congesti sunt, vel & publicati, vtrumque statum complectuntur. Quaedam enim in his iura videas, ad negotia ecclesiastica vnice aut porissimum pertinere; quaedam civiles duntaxat causas, aut non minus quam sacras dirigunt. Sic in volumine Gregorziano, cuius fere ad similitudinem reliqua congesta sunt,

liber primus praecipue statum tractat ecclesiasticarum personarum. Ex aduerso liber secundus forensis totus est, tractandique causas ciuiles iuxta & ecclesiasticas rationem atque ordinem commonstrat, siue processum, vt vulgo vocamus, ordinat. Rursum liber tertius statum & personarum & rerum varii generis tradit. Liber quartus totus de matrimonio agit; quod argumentum potissimam partem sibi vindicant sacra Consistoria. Quintus liber delicta inprimis persequitur, & communis vtrique foro est. Quibus corollarii vice, ad exemplum iuris ciuilis, subiiciuntur tituli de Verborum Significatione, & de Regulis Iuris.

A tempore expurgatae per diuinos Viros, Martinum Lutherum, & auxiliatores eius, Christianae religionis, in medium fere vsque saeculi XVII, ea in Protestantium Aca-
demiis opinio obtinuit, ad cathedram Iureconsultorum non vltra pertinere ius canonicum, quam quatenus iudicarium ordinem praescribit, & in pactis, matrimonii, ac iureiurando, in causis piis, bonis ecclesiasticis, & decimis, in vstris, praescriptionibus, & paucis aliis, propria quaedam habet, quae in Romano iure aut frustra quaeras, aut minus recte inuenias constituta. Neque vero in obscuro esse poterit huius rei ratio repetere volenti memoria, his fere solis ex causis obtinuisset tandem ICC. Wittenbergenses, Hennin-
gum maxime Goedenium, & Hieronymum Schurffium, vt ius canonicum seu pontificium Romanum, a Luthero A. MDCXX, d. x. Decembris, in magna Doctorum Iuuenumque Studiosorum corona ad rogum damnatum, apud Protestantes haud penitus aboleretur.

Sed postquam in Gallia, qui operam Iurisprudentiae dabant, pariter & antiquitati ecclesiasticae enixius incubuere, eiusque praesidio non solum barbaram faciem iuri canonico absterferunt elegantioremq; formarunt, sed & magnam ei intulere lucem; in Germania quoque vsu euenit, vt apud
Pro-

Protestantes Iuris Pontificii interpretes fines sui muneris prorogarent. Factum hoc itidem a Wittenbergenſium clariffimi nominis Iurisconſulto, Caspare Zieglero, teſtamentibus id doctiffimis, quas vulgavit, lucubrationibus: factum etiam, vt alia eademque celebratiſſima ſcientiarum gymnaſia nunc mittam, in hoc noſtro Athenaeo, ab Vngepauero Richtero, Struuiſio, Schiltero, Lynckero, Sleuogtio, Iureconſultis etiam ſine titulo laudatiſſimis, inprimis vero a Papiniano Germaniae, ideoque principe loco merito nominando, Io. Strauchio. Qui tantum abeſt, vt coërceri intra paucos Gregoriani operis titulos ingenium ſuum pateretur, vt ipſum Gratiani Decretum, a quo antehac Profeſſores Iuris, tanquam ab Eleuſiniis ſacris, non ſecus ac profani homines, aut non rite initiati arcebantur, in iuridicam cathedram produceret, publicisque aequae ac priuatis praelectionibus, more ſuo, id eſt, ſolide & erudite, illuſtraret.

Atque omnino maxime ſpecioſa iuridici muneris pars eſt, quae Gratianus ex canonibus ſynodorum, ſcriptis ſanctorum patrum, epistoſis Pontificum, & conſtitutionibus Imperatorum congeſſit, ea omnia, in quantum eccleſiaſticum iudicem inſtruunt, probe perſpecta habere. Sane, quid ſit poenitentia, quid ſacramentum, quid baptiſmus, quid hæreſis, aut quis hæreticus, non eſt proprie Iurisconſulti docere: eſt tamen eiufdem tradere, quidnam circa hæc iuſtum aut iniuſtum ſit. Prætermitto alia quam plurima iuris haud dubia capita, in Decreto non minus ac in Decretalibus ſeſe offerentia.

Quibus ita comparatis, pretium ſane operæ feciſſe cenſeri debet Iureconſultus reconditarum litterarum cultu omnigenaque iuris prudentia inſigniter excellens, Io. Schilterus, quando non ſolum ius eccleſiaſticum publicum pulcherrimo commentario, *de Libertate Eccleſia-*

rum *Germania* inscripto, sed priuatum quoque elegantis-
simis suis *Canonici Iuris Institutionibus*, peregre illustra-
uit. Qui posterior libellus, vt ante hac sæpius, apud nos
æque ac in vicinis Academiis, publicos priuatosque inter-
pretes nactus est; præsertim quod rebus mere forensibus,
atque interpretationi ciuili iuris (ex quo quidem eiusque
glossis quam plurima hausere Pontifices) magis quam eccle-
siastici seruientibus; ad proprias sedes scholasque, in qui-
bus & rectius illæ commodiusque tractari possunt solent-
que, postliminio velut remissis, ea duntaxat professo stu-
dio exponat, quæ sinceri ac genuini sunt iuris canonici,
adeoque ad intelligendum veteris pariter ecclesiæ statum,
& ad hodiernæ usum; maxime conducunt: ita breuitate
sua & perspicuitate, rectoribusque doctrinis promeriri
omnino potuit, vt ad eius ductum, per semestre hoc hyber-
num, lectionibus priuatis Iuris Canonici Prudentiam iterum
interpretemur.

Hanc vero operam successuram ex voto, non est
quod nobis polliceamur, nisi tu, quod supplices precamur,
menti accendas lumen, animo adpires vigorem & con-
stantiam, corpori des vires ac virium perpetuitatem, qui
vnus omnia largiri potes, quique rite inuocantibus pro in-
effabili tua sapientia, suo cuique modulo, quæ visa tibi
sunt largiris, o æterne, o ter sancte, o benignissime Deus! Vos,
Illustrissimi COMITES, ceterique multo natalium, ingenii, do-
ctrinæ, virtutis decore florentissimi Auditores, dicata non igna-
tio otio, sed erudito labori, meoque etiam ductu ad sacræ
Themidis arcem itura pectora! accipite, quæ differemus, gra-
tiosa & fauente aure, meamque frequentia & assiduitate Vestra
excitate industriam. Initium prælectionum cum Deo fiet die
craftini, hora ante meridiem X. XI. P. P. decimo Octobr. Anno
R. S. post mille & septingentos supra vigesimum octauo.

Jena, Diss., 1728 (1)

VD 18


ULB Halle 3
003 561 461




f

7A-20C







1728 11

42

CASPARIS ACHATI BECKII D.

I. P. P. O.

PROGRAMMA

PRAELECTIONIBVS PRIVATIS

SVPER

EXCELLENTISSIMI IVRECONSVLTI

IOANNIS SCHILTERI

INSTITVTIONES IVRIS CANONICI

AD

ECCLESIAE VETERIS
ET HODIERNAE STATVM ACCOMMODATAS

PRAEMISSVM.

IENAE,
LITTERIS FICKELSCHERRIANIS.

de

factis iuris Canonici in Germania

